

fanos, peccant tamen mortaliter, nisi hoc faciant ex indulto Papæ¹.

Petes 7^o utrum pensio quæ in Gallia sacerdotibus a gubernio solvitur, boni ecclesiastici naturam induat.

Resp. affirmative, quia ex Concordato anni 1801 pensio prædicta fuit stipulata in compensationem bonorum ecclesiasticorum quæ tempore perturbationis Gallicæ confiscata sunt et alienata. Ergo eamdem naturam induit quam habebant bona quibus substituitur.

Constat etiam ex sequentibus S. Pœnitentiariæ responsis.

1^o « An salaria quæ in Belgio solvuntur a gubernio pastoribus et canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiae, sub pœna non faciendi fructus suos? »

» Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, respondit :
» Jam alias a Sancta Sede, de consiliis secretæ Congregationis, responsum fuisse affirmative.

» Datum Romæ, die 19 januarii 1819. »

2^o « Sacra Pœnitentiaria consulta : an illa responsio applicari debeat salariis quæ pastoribus et canonicis regni Galiarum a gubernio solvuntur, respondendum censuit affirmative. »

3^o « An responsio pro Belgio diei 19 januarii applicari debeat solis salariis fixis 1000 librarum pro parochis et 750 librarum pro deservientibus, vel extendi debeat ad oblationes fidelium? »

» Sacra Pœnitentiaria super noviter expositis respondendum censuit : affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

» Datum Romæ, die 9 augusti 1824. »

Ex hoc ultimo responso sequitur, oblationes voluntarias

1. De Angelis, lib. III, tit. 26.

a fidelibus parochis factas, itemque proventus qui *casuales* dicuntur, recenseri inter bona quasi-patrimonialia, quorum usus liber est.

E contra, supplementa quæ a municipiis parochis erogantur, quasi pars pensionis communiter habentur, siquidem non tribuuntur nisi ex decreto generali gubernii (Art. org. 67), et vi Concordati inter summum Pontificem et gubernium initi. — Excipe, nisi supplementum hoc propter functiones non obligatorias et laboriosas fuerit stipulatum ; quo in casu naturam boni quasi-patrimonialis induit.

Notandum ad praxim. Quæstio de usu bonorum ecclesiasticorum, in Galliis, sicut et in pluribus aliis regionibus, hodie fere speculativa facta est. Etenim pensiones a gubernio solutæ in compensationem reddituum qui ex bonis beneficalibus confiscatis et alienatis proveniebant, sunt ita modicæ, ut nequidem honestæ ministrorum Ecclesiæ sustentationi sufficiant : unde nihil superflui ex his superesse potest. Si qui, misere vivendo, aliquid de tali redditu reservant, quod vix possibile esse videtur, hoc ad genus bonorum patrimonialium pertinet, et extra legem canonicam ponitur.]

DISSERTATIO III

DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM

Res respectivæ ad dominium sunt duplicis generis. Quædam sunt appropriatæ, id est, habent proprium et determinatum dominium. Quædam sunt communes aut quasi communes, quæ scilicet nullum ex se censentur habere dominum, ut sunt feræ in silvis, pisces in fluviis, etc. Et juxta hanc rerum diversitatem diversi sunt modi earum dominia acquirendi. Harum quæ sunt alicui appropriatæ acquiritur dominium voluntate domini vel autoritate legis. Illarum quæ nullius sunt, acquiritur dominium prima occupatione.

ARTICULUS I

De modis acquirendi dominia rerum quæ nullius sunt.

§ I

De occupatione animalium.

Nota. Triplicis generis animalia solent distingui. Quædam sunt ex natura sua fera, ut cervi, apri, lepores, pisces, etc. Quædam ex his consuetudine cicurantur et fiunt domestica, ut cervi, columbæ, cuniculi, etc. Quædam tandem sunt ex natura sua et consuetudine cicurata et domestica, ut gallinæ, boves, oves, etc. Hoc notato,

Dico 1°: Animalia ex natura sua et consuetudine fera, jure gentium sunt primo capientis: « Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.

» Quidquid autem ceperis, eo usque tuum intelligitur, donec tua custodia coercetur, ut pisces in nassa vel vivario inclusi, fera capta laqueo a quo se extricare non possit. Cum vero evaserit tuam custodiam et in libertatem naturalem sese receperit, tuum esse desinit et rursus occupantis fit. » Huc usque Justinianus, L. II *Instit.*, tit. *de rerum divis.*, § *Feræ*.

Dico 2°: Animalia ex natura sua fera, sed consuetudine cicurata et mansueta « eo usque tua intelliguntur, donec revertendi animum habeant, aut facile possunt reduci; nam, si revertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt et fiunt occupantium, quia tunc censentur recuperasse suam libertatem. Revertendi autem animum videntur desinere habere, tunc cum revertendi consuetudinem deseruerint. » Idem, *ibid.*, § *Pavonum*.

Dico 3°: Animalia ex natura sua domestica et mansueta « licet conspectum tuum effugerint, quocumque loco sint, tua esse intelliguntur, et qui lucrandi animo ea detinet, vel eorum lanam, plumas, ova, etc. sibi appropriat, furtum committere intelligitur. » Id. *ibid.*, § *Gallarum*. Quia,

cum natura sua sint domestica, quocumque excurrant, non censentur recuperare libertatem, sed manent prioris domini: ita quod, si etiam e faucibus lupi eripiantur, quod superest domino sit restituendum.

§ II

Utrum et quomodo peccet qui contra justam prohibitionem venatur aut piscatur, et an teneatur ad restitutionem?

Nota venationem et piscationem ex triplici capite posse prohiberi: 1° Ratione status personæ: sic prohibetur clericis. 2° Ratione publicæ utilitatis, ut dum prohibetur mensibus quibus segetes intumescunt, aut animalia sunt gravidæ pariuntve, aut dum prohibetur ne fiat certis instrumentis, quibus minuta et nimia animalia caperentur, sicque soboles extingueretur aut multum minueretur. 3° Ratione loci, ut ne fiat in fundo alieno, vel publico, sed reservato.

Dico 1°: Peccat clericus, a fortiori religiosus frequenter vacans venationi clamosæ, non tamen tenetur ad restitutionem.

Prima pars statuitur cap. *Episcopum*, Decretal. lib. V, *de clerico venat.*, tit. 24, et in concil. Trid., sess. xxiv, de Reform. cap. 12.

[Item in concilio Lateran. IV, can. 15, legitur: « Venationem et aucupationem universis clericis interdiximus; unde nec canes nec aves habere præsumant. »]

Patet etiam secunda pars; quia talis prohibitio facta ratione conditionis personæ et propter decentiam atque dignitatem ejus status, non reddit acquisitionem feræ injustam aut invalidam.

Dico 2°: Qui venatur, aucupatur, piscatur contra prohibitionem factam ratione utilitatis publicæ, peccat; quia agit contra justam legem, ut supponitur. Peccat morta-

liter vel venialiter pro ratione damni illati; quia ista prohibitio fit causa damni vitandi, et tenetur ad hujus restitutionem, quia qui causat damnum, tenetur illud resarcire. Non tamen tenetur ad restitutionem prædæ, quia ista prohibitio non facit injustam neque invalidam acquisitionem feræ, cum, ea non obstante, remaneat adhuc fera in sua libertate, fitque proinde adhuc primo capientis, sed facit tantum illicitam.

Dico 3^o : Qui venatur, aucupatur, piscatur in fundo pervio alterius habentis jus venandi, aut in loco publico, sed principi vel alteri de ejus concessione reservato, peccat ut ante contra legem justam. Peccat mortaliter vel venialiter, pro ratione damni illati, ad cujus proinde reparationem tenetur, non tamen prædæ captæ, propter rationem præcedenti conclusione allatam, quæ magis hic adhuc urget, cum feræ non sint fructus fundi, sicut sunt arbores.

Porro grave damnum in hac et præcedenti conclusione censetur non præcise præda capta, etsi sit gravis momenti, sed id unde notabiliter in prohibente jus venandi, aut facultas tale jus aliis locandi minuitur, ut si aquæ inficiantur, feræ abigantur, proles earum magna ex parte exstinguantur, animalia magni momenti crebro capiantur. Ex his enim et similibus valde imminuitur jus venandi quod habet princeps seu respublica, et facultas illud aliis locandi. Item grave damnum censetur, si segetes enormiter conculcentur, sepes avellantur, et similia.

Dixi in conclusione, « in fundo pervio alterius. » Si enim quis feras in loco circumsepto, aut pisces in vivario caperet, furtum committeret, et teneretur ad restitutionem ipsorum animalium; quia, cum amiserint libertatem, sunt sub dominio illius qui ea custodit et concludit, nisi forte absque fraude venatoris aut piscatoris, e loco septo vel vivario egressa, naturalem recuperaverint libertatem; tunc enim sunt iterum primo capientis.

[Quantum ad obligationem legum civilium circa venationem et piscationem latarum, dicendum videtur :

1^o Ex his legibus, aliæ se referunt ad externum regimen

et ad bonum ordinem. Decernunt, v. g., quo tempore vel quibus instrumentis venatio aut piscatio permittantur. Hæ leges, ex sententia communi et satis probabili, sunt mere pœnales¹. De lege pœnali dictum est in tract. *de Legibus*, dissert. IV, art. 4.

2^o Sunt aliæ leges quæ jus alienum tuentur, v. g., lex prohibens ne fundum clausum ingrediaris ad laqueum ponendum, ut damnum non inferas. Hæ leges obligant vi juris naturalis, et non violantur sine læsione justitiæ commutativæ.

3^o Aliæ demum leges tuentur jus venandi aut piscandi concessum alicui exclusive per contractum, et ille sine injustitia privari non potest jure illo, quod est quædam species occupationis. Injuste autem læderetur, si ab aliis, v. g., tanta multitudo piseium caperetur in flumine locato, ut proventus quem inde sperabat locator notabiliter minueretur².

Dixi, « per contractum concessum; » quia, si jus venandi esset merum privilegium, alios non obligaret ex stricta justitia, sed ex justitia legali tantum. Tunc locus non esset restitutioni, maxime si pœna injungeretur³.

§ III

De thesauris.

Thesaurus, prout hic sumitur, non est quicumque pecuniæ cumulus metus vel custodia causa in futurum depositus, sed est « vetus quædam depositio pecuniæ cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat. » Ita L. 31, ff lib. 41, tit. 1.

[In novis codicibus, per thesaurum intelligitur quicumque res pretio æstimabilis abscondita vel infossa, quæ casu reperitur, et quam nemo suam esse probare potest⁴.]

1. S. Lig., lib. I, n. 145. — 2. Id., ibid., lib. IV, n. 605. — 3. Lessius, lib. II, c. 5, n. 44. — 4. Codex Gallic., art. 716; Ital., art. 714; Austr., art. 398; Boruss., I, 9, § 74.

Dico 1^o : Jure gentium, thesaurus est totus inventoris, quivis sit. Idem dic de lapillis, gemmis, conchiliis quæ inveniuntur in littore maris¹; quia quæ nullius sunt, jure gentium fiunt primo occupantis, ut sæpe dictum est. Jure tamen Cæsareo, aut municipali provinciarum, diversæ sunt dispositiones. Unde

Dico 2^o : Jure Cæsareo, thesaurus inventus in proprio fundo totus est inventoris. Ita Justinian. *Instit.* L. II, tit. 1, § *Thesaurus* 39, et C. L. *Nemo*, de thesauris.

Inventus fortuito in fundo alieno, dimidium est inventoris et dimidium domini fundi, *ibid.* Quod dimidium domino fundi tradendum, etiam ante sententiam judicis, quia, ut advertunt authores, hæc juris dispositio non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum.

Inventus de industria in fundo alieno sine consensu domini, totus est domini, C. loc. cit. Quia tamen hæc dispositio, quoad medietatem quæ alias obtingeret inventori, est pœnalis, propter injuriam factam domino fundi, non tenetur inventor hanc medietatem dare domino ante sententiam judicis. Et id indicat ipsa lex, dicens: « Totum locorum domino reddere compellatur. »

[Thesaurus inventus in loco publico, dividendus est inter inventorem et fiscum, si nempe locus sit profanus; si vero sit sacer, thesaurus dividitur inter inventorem et fabricam aut prælatum.

Ita jus Romanum, cui consonat Gallicum, Italicum, Austriacum, etc.². Jus autem Borussicum adjudicat fisco mediam partem thesauri in fundo alieno quæsitæ, et alteram mediam proprietario³. Jus Anglicum omnes thesauros regi seu reipublicæ attribuit. Sed, teste Crolly⁴, lex ista non obligat ante sententiam judicis.]

Inventus de industria in fundo alieno cum consensu

1. Hic q. 66, a. 5, ad 2. — 2. Cfr. Cod., loc. cit. — 3. Cod. Boruss., I, 9, § 84. — 4. *De justit.*, I, n. 642.

domini, secluso pacto, totus est inventoris, juxta Navarrum, Lessium et alios; quia hoc ipso quo dominus fundi consentit in effossionem thesauri absque eo quod paciscatur, aut aliquid exigat ab effodiente, censetur ipsi condonare suam partem.

Inventus tandem arte magica in proprio fundo, totus est fisci. Ita communiter, et colligitur ex L. *Unica*, C. de *Thesauris*. Si eadem arte inveniatur in fundo alieno, dimidium quod debuisset esse inventoris, fit fisci, dimidium domini ipsi remanet, quia non tenetur culpa alterius, nisi ipsi cooperatus fuisset. Porro medietas quæ aliunde obvenisset inventori, non debet tradi ante sententiam judicis, quia est dispositio pœnalis, et quidem sententiæ ferendæ. Huc usque jus Romanum. Si aliter disponant jura particularia, illis standum est.

Queritur hic utrum qui novit thesaurum latere in alieno fundo, licite emat fundum illum secundum communem æstimationem, antequam thesaurum eruat, et efficiatur totius hujus thesauri dominus, postquam eruerit.

Resp. affirmative cum Soto, Navarro, Banne et Sylvio.

Ratio est, quia is emit agrum justo pretio. Thesaurus autem inventus in agro proprio totus est inventoris, ut dixi.

Quod emat agrum justo pretio, prob. 1^o quia thesaurus non auget pretium fundi, cum non sit fructus ejus, nec de ejus substantia; neque ante inventionem aut apprehensionem pertineat ad dominum, sed sit nullius. 2^o Quia alicujus rei pretium non sumitur ex majori vel minori illius intrinsecæ utilitate vel præstantia, sed ex communi æstimatione hominum, saltem expertorum in tali arte vel materia; hæc enim est regula justa et mensura immediata pretii justæ et humani. Atqui is de quo agitur, emit, ut suppono, agrum secundum communem æstimationem. Ergo. Hæc secunda ratio probat id etiam licere, si ageretur de mineralibus in fundo reconditis, quæ quis vel fortuito, vel singulari perspicacia sciret illie latere.

[*Nota* : 1° Ille est thesauri inventor qui eum detegit, non autem qui eum apprehendit. Si ergo famulus in horto heri sui, isto præsentè, thesaurum e terra eruat, herus læderet justitiam rem, totam sibi retinendo. 2° Si dominus fundi, suspicans thesaurum ibi latere, conducit mercenarium ad eum quærendum, dominus est verus inventor, et thesaurus totus ad eum pertinet. 3° Juxta recentiores codices, nihil refert an res fuerit inventa in fundo immobili, vel in re mobili, v. g. in arca veteri, modo constet eam thesauri rationem habere, id est non pertinere ad talem personam vel familiam.]

§ IV

De rebus derelictis, amissis et vacantibus.

Dico 1° : Jure Romano, « si rem pro derelicta a domino habitam occupaverit quis, statim ejus dominus efficitur. » *Instit.* lib. II, § ultimo ; quia, ut sæpe jam dixi, quæ nullius sunt, fiunt primo occupantis¹. Jure Gallico, bona derelicta pertinent ad dynastam loci. Ita Tournely ex Ferrier.

[Jus novum Gallicum veteri concordat. Ex Cod. civ., art. 539, bona derelicta sub nomine bonorum vacantium includuntur et reipublicæ attribuuntur. Hoc tamen ex consuetudine ad sola immobilia restringitur, et admittitur res mobiles derelictas ad primum occupantem pertinere, saltem ante sententiam judicis².]

« Pro derelicto autem habetur quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim ejus dominus esse desinit. » *Instit.* cit. Quando vero talis sit mens domini, venandum ex rerum et temporum circumstantiis.

1. Hic q. 66, a. 5, ad 2. — 2. Carrière, *de Jure et Just.*, n. 285 et 343, post plures jurisperitos.

Hinc inferes bona naufragantium, sive vi tempestatis naufragio facto projecta in mare, sive causa levandæ navis ejecta, item ea quæ per eluvionem abripiuntur, non esse bona derelicta, quia regulariter domini ea pro derelictis non habent, quin potius ea libentissime recuperarent ; et ideo furti rei sunt qui illa sibi surripiunt, et si sint bona Christianorum naufragantium, incurrunt excommunicationem bullæ *Cœnæ*. Si autem dominus sciens ubi et quomodo posset ea recuperare, non curaret, quia vel parvi facit, vel forent expensæ faciendæ quæ rei recuperandæ æquivalerent, præsumeretur tunc habere pro derelictis. Hujus generis esse puto in his partibus parva ligna quæ intumescente Mosa fluctibus abripiuntur, et quæ riparum incolæ expiscantur.

Dico 2° : Bona vacantia sunt quæ quis relinquit moriens ab intestato, nec habens hæredes qui ei juxta legem ab intestato succedunt. Hæc addicuntur fisco regio. L. *Vacantia*, C. *de bonis vacantibus*.

Excipe bona mobilia peregrinorum, qui si ab intestato decesserint sine hæredibus, debent eorum bona per manus episcopi loci in pias causas erogari. Authent. *Omnes peregrini*, C. *Communia, de Success.*

In Gallia bona extraneorum ibi morientium qui dicuntur *aubains*, quasi *alibi nati*, pertinent ad regem, exceptis bonis legatorum, mercatorum et regnicolarum.

[Bona vacantia reputantur quæcumque relinquit moriens intestatus, sive mobilia sive immobilia. Nova jura horumce bonorum attributionem a jure Romano factam sanxerunt. Unde bona illius qui intestatus mortuus est et non reliquit consanguineos usque ad decimum gradum, ad fiscum devolvuntur¹. Non datur locus occupationi, quia eorum dominium non fuit realiter dimissum seu abjectum, et autoritas publica, vi alti sui domini statuit ea ad communitatem, in publicam utilitatem, obventura

1. Cod. Gall., art. 539 et 713 ; Ital., art. 742 et 758.

esse. Dicitur potest insuper quod, cum dominus, familia naturali orbatus, de his non disposuerit per actum ultimæ voluntatis, consetur voluisse ea profutura esse familiæ suæ civili, id est reipublicæ.]

Dico 3^o : Bona recens amissa non sunt inventoris, sed remanent illius qui ea amisit, cui proinde necessario restituenda sunt, si fieri possit; quia horum bonorum dominio non spoliatur qui amisit, nec illud acquirit qui invenit¹. Quo enim jure? Non autoritate legis, nulla est enim quæ possit assignari; non voluntate domini, quin potius vult e contra ea sibi reddi, et ideo diligenter inquiri, pro redditis gratias agit, etiam cum inquirere desierit.

Dico 4^o : Si, facta diligenti inquisitione, quæ debetesse major vel minor pro rei conditione, non possit cognosci dominus, bona inventa debent expendi secundum voluntatem ejus præsumptam : id lex naturalis indicat. Præsumpta autem ejus voluntas regulariter censetur esse, ut expendantur in usus sibi, aut suis, aut saltem reipublicæ utiles, proindeque in pauperum sublevamen, in missas aut alios pios usus. Quin ita sit, cujusque conscientiam testor, num non ita vellet res suas perditas expendi.

Hanc communem sententiam expresse tradunt conc. Mediol., sub sancto Carolo, *Catechismus Romanus*, p. III, c. VIII, n. 17, et S. Thomas hic q. 62, a. 5, ad 3.

[In *Catechismo Romano* legitur, ibi : « Sunt fures, qui furto sublatas res emunt, vel aliquo modo inventas, occupatas et ademptas retinent. Ait enim S. Augustinus : « Si » invenisti; et non reddidisti, rapuisti². »

» Nota quod si rerum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda. »

Textus S. Augustini hic citatus et textus Angelici referendus infra expenduntur.

Altera sententia affirmat inventorem, in casu proposito,

1. Hic q. 66, a. 5, ad 2. — 2. Serm. 178, olim 19, c. 8, n. 9.

scilicet omni diligentia adhibita, rem ut suam habere posse. S. Ligorius¹ citat plures auctores bonæ notæ, inter quos Salmanticenses, quibus videtur probabilis et valde probabilis, et Gury² eam tenet ut probabiliorem.

« Tertia sententia, ait S. Ligorius³, verior et sequenda, distinguit et dicit : Quando adhuc, post diligentiam, possibile est dominum invenire, tunc res vel pretium servari debet. Quod si utrumque servari nequeat, res vel pretium omnino est erogandum in usus pios, juxta præsumptam voluntatem domini, qui adhuc illius rei dominium retinet semper ac res potest in manus ejus redire. E converso, quando res, spectatis circumstantiis longitudinis temporis vel distantie loci, vel eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut accidit in nummis ordinariis, non videtur possibile ut ad dominum redeat, tunc illa fit nullius, et ideo acquiritur a primo occupante, qui illam non tenetur dare juxta voluntatem prioris domini, cum ille impossibilitate eam recuperandi jus domini prorsus amiserit. Et hanc sententiam expresse tenet S. Thomas, 2^a 2^e, q. 66, art. 3, ad 2, ubi ait : « Et similiter, » si [res] pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, » licet sibi eas retineat, non committit furtum. » Ratio a priori est, quia jus gentium tribuit privatis dominium rerum, non ad aliud, quam ut illis utantur. Hinc, quando est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, illa, tamquam derelicta, evadit nullius et redit ad primævum jus naturæ, ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione. » — Hæc tertia sententia ad secundam practice reducitur.

Huic sententiæ favet quod in nostris regionibus usitatum est, ubi, cum res inventa apud magistratum deponitur, post annum elapsum inventori redditur, ut ea tamquam sua utatur, quamvis ex art. 539 Cod. civ. res dominum non habentes ad fiscum devolvantur; quod, ut dictum est, ad immobilia practice restringitur.

1. Lib. IV, n. 603. — 2. N. 578. — 3. Ibid.

Huic posteriori sententiæ objici potest textus S. Augustini prælaudatus. Sed hæc autoritas decisiva non videtur; nam ita eam interpretari licet, ut qui rem inventam non reddidit, quia dominum diligenter non inquisivit, vere rapuit, eo quod eam ut alienam et non suam habere debebat. At inde non sequitur quod sit raptor, si retineat rem quæ jam in manus prioris domini redire non potest.

Locus S. Thomæ ad quem Billuart supra lectorem remisit ita est: « Si ille cui debet fieri restitutio sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus; præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus cui est restitutio faciendâ. » Hic textus non videtur ad rem facere, cum hic agatur de restitutione ob furtum faciendâ. Respondet enim S. Doctor ad quæstionem: « Utrum oporteat semper restitutionem facere ei a quo acceptum est aliquid? » id est, utrum restitutio personæ læsæ fieri debeat, an alicui alteri, v. g., pauperibus, fieri possit? Et respondet in corpore, ipsam personam læsam reducendam esse ad æqualitatem justitiæ commutativæ per restitutionem. Ad 2^{am} addit quod, si persona læsa sit et remaneat ignota, restitutio ei faciendâ est per eleemosynas pro salute ipsius; quia aliter fieri non potest restitutio certo faciendâ ab eo qui rem injuste accepit. Porro, qui rem amissam invenit, non accepit eam injuste: unde solutio ab Angelico data eum non respicit. Aliunde S. Doctor conclusioni quæ ipsi immerito attribuitur aperte contradicit in loco supra a S. Ligorio allegato.

Quamcumque sententiam confessarius amplexus fuerit, non debet inquietare inventorem qui, omni diligentia facta ad repertiendum rei dominum, bona fide eam ut suam retinet, quia is sententiam vere et solide probabilem sequitur, et non licet confessario propriam opinionem, quæ tantum probabilis est, ut certam et indubie obligantem imponere].

§ V.

De venis metallicis et aliis non metallicis.

[Hujusmodi venæ ad triplex genus reducuntur: 1^o *Fodinæ*, quæ originarie continent, sive sub venæ forma, sive aggerata, aurum, argentum, plumbum, ferrum, carbonem in sinu terræ natum qui gallice dicitur *houille*; 2^o *Quasi fodinæ*, gallice *minières*, in quibus inveniuntur terræ ferriferæ et terra combustibilis gallice dicta *tourbe*; 3^o *Lapidicinæ*, e quibus eruuntur marmora et cujusvis speciei lapides ædificationibus destinati.

Dico: Attento solo jure naturali, cujuscumque generis venæ vel fodinæ sunt illius cujus est fundus, non tantum quoad jus effodiendi, sed etiam quoad dominium et proprietatem, quia sunt pars ipsius fundi et ad ejus substantiam pertinent. Proinde non sunt probandi Sylvius, Lessius et Soto, qui dicunt eas esse res nullius et jure naturæ fieri primi occupantis.

Fatendum est tamen legitime effectum esse, sive jure communi, sive consuetudine communiter recepta, ut principes aut respublicæ eas sibi vindicent, compensato damno quod domino fundi infertur: 1^o quia id convenit principibus aut rebuspublicis ad sustinenda onera communia; 2^o quia hæ venæ sunt magnæ æstimationis, et simul difficillimæ inventionis, quibus effodiendis plerumque sunt impares privatorum facultates: quapropter reipublicæ interest excitare homines, proposito præmio, ne hujusmodi venas improproductivas relinquunt. Unde

Ex lege Gallica 21 april. 1810, prohibetur ne effodiantur primi generis fodinæ sine licentia autoritatis supremæ, vel domino fundi vel alteri concessa, salva justa indemnitate. Hæc licentia non requiritur ut effodi possint fodinæ secundi generis. Sufficit ut dominus fundi suam intentionem præfecto provinciæ notificet. Absque ulla licentia effodi possunt lapidicinæ, dummodo serventur statuta specialia, quibus providetur præcipue operariorum securitati.

In singulis regionibus ad leges proprias attendendum est.]

ARTICULUS II

De primo modo acquirendi dominium rerum quæ sunt alicujus, scilicet de accessione.

[Accessionis nomine intelligitur jus quo dominus rei principalis fit dominus rei accessoriæ, id est omnium quæ ab aliqua re producuntur, vel ipsi naturaliter aut artificialiter uniuntur.

Accessio est vel *naturalis*, vel *industrialis*, vel *mixta*.

I. — Accessio naturalis habetur : 1^o *Nativitate*, quando nempe ex animali tuo aliud nascitur, conceptum vero de masculo pertinente ad alium. Fert enim axioma : « Partus sequitur ventrem. » — 2^o *Fructificatione*, id est productione fructuum ex fundo absque industria humana. — 3^o *Alluvione*, quando vi aquarum incrementum tuo prædio sensim accedit. Si vero notabilis pars fundi alicujus repente per *avulsionem* accedat alteri fundo, hujus prior dominus non amittit dominium, si infra tempus utile jus suum exerceat¹.

II. — Accessio industrialis seu artificialis fieri potest : 1^o *Edificatione*, quando quis in fundo suo ædificat ex alienis materiis, vel in fundo alieno ex materiis suis. Tunc generatim ædificium est illius cujus est fundus, facta autem debita compensatione ei qui bona fide ædificavit². Consulantur tamen hac super re leges cujusque regionis³. — 2^o *Specificatione*, quando materiæ præexistenti nova forma seu species accedit, v. g., si ex lana ad alterum pertinente vestem, ex ligno vel auro alieno vas confeceris. Ex

1. Cod. Gall., art. 546 seqq.; Ital., art. 444 seqq.; Austriac., art. 404-422; Boruss., I, 9, § 220 et 324; Angl. Croll., n. 639. — 2. S. Lig., lib. IV, n. 500. — 3. Cod. Gall., art. 555; Ital., art. 449; Austriac., art. 417-419; Boruss., I, 9, § 327.

jure communi, species nova artifici cedit, soluto pretio materiæ, si hæc ad priorem formam reduci non possit, et in conscientia requiritur probabiliter bona fides : secus res cedit domino materiæ, v. g., vas aureum¹. Ex novis legibus, in utroque casu res cedit domino materiæ, nisi opus artificis materiam pretio longe superet². — *Adjunctione*, quando res alicujus ita rei alterius jungitur, ut unum totum simul efficiant; quo in casu totum compositum pertinet ad eum cujus res ut quid principale consideratur, qui tamen dominum partis accessoriæ debet facere indemnem. Sic usufructuarius qui domus parietes depinxit, non potest cum parietum detrimento picturam delere. E contra, pictor qui in tela aliena imaginem insignem expressit, potest telam pictam retinere, soluto ejus pretio; nam, ut ait Justinianus, *Instit.* lib. II, tit. 1, n. 34, « ridiculum est picturam Apellis in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. » Ita ex jure omnium fere popolorum³. — 4^o *Commixtione*, quando res solidæ, et *confusione*, quando res liquidæ ad diversos pertinentes junguntur. Ex jure Romano, si commixtio vel confusio facta sit ex pluribus rebus diversi generis, ex illis fit nova species, quæ principio specificationis supra exposito subest. Quod si nulla species nova facta fuerit, et res commixtæ vel confusæ separari possint, quin deteriores fiant, unaquæque domino suo separanda est. Secus, cuique in totam massam jus erit, pro cujusque portione aut pretio⁴. Juxta novas leges, res fit communis, et sub hasta vendi debet, pretiumque dividi, nisi inter dominos aliter stipulatum fuerit.

Si vero una pars sit principalis, aliasque pretio aut quantitate multum superet, licitum est ejus domino totum sibi vindicare, refuso aliis justo pretio⁵.

1. S. Lig., lib. IV, n. 496. — 2. Cod. Gall., art. 570 et 571; Ital., art. 468; Austriac., art. 415; Boruss., I, 9, § 298. — 3. Cod. Gall., art. 566; Ital., art. 484; Boruss., loco cit. — 4. S. Lig., lib. IV, n. 498. — 5. Cod. Gall., art. 573 et 574; Ital., art. 472 et 473; Austriac., art. 414; Boruss., I, 9, § 298-323.